

1  
2  
3  
4  
5  
6



Pub. 20. *Königsberg* 23.

PROGRAMMA  
DE  
SVBDITI IVRE AGENDI  
EX TRANSACTIONE  
PRINCIPIS

1747, 7

CONTRA  
POSSESSOREM REI SVAE  
qvo  
PRAELECTIONES ACADEMICAS

VERNO-AESTIVAS ANNI MDCCXLVII.

INDICAT

IOANNES CAROLVS KOENIG

IVRIVM DOCTOR ET PROFESSOR PVBLICVS ORDINARIIVS  
VNIVERSITATIS MARBVRGENSIS.

---

MARBV<sup>R</sup>GI CATTORVM  
TYPIS PHILIPPI CASIMIRI MVLLERI  
ACAD. TYPOGR.




PROGRAMMA  
DE  
SPECTIBUS VBI ACENDI  
EX TRANSACTIONE  
HABITIS

BOSSEROREM REI SVAB  
RELECTIONIS APOSTOLICAE

JOHANNES CAROLVS ROEING  
HABITIS VBI ACENDI

HABITIS VBI ACENDI  
HABITIS VBI ACENDI





PROGRAMMA  
 DE SVBDITI IVRE AGENDI EX  
 TRANSACTIONE PRINCIPIS CONTRA  
 POSSESSOREM REI SVAE.



§. I.

uum de subdito agente ex trans- *tria in*  
 actione Principis contra possesso- *boc thema-*  
 rem rei suae nonnulla commenta- *te confide-*  
 ri, animo constituimus, tria potif- *randa.*  
 simum momenta in hoc themate  
 consideranda esse, videntur: 1)

fori competentia, 2) actionis natura & fundamen-  
 tum, 3) an? & quatenus? actio illa praescriptione  
 elidi queat, nec ne.

§. II.

Forum competens dicitur, in quo reus con- *quid fo-*  
 veniri, & ad respondendum adstringi potest, quam- *rum com-*  
*obrem petens.*

A 2

obrem dum actor ratione causae, & reus ratione personae peculiari legis beneficio nonnunquam adjuvetur, vel eodem destituatur: hinc pronum fuit alveo, forum vel privilegiatum, vel non privilegiatum esse.

§. III.

quotuplex  
forum pri-  
vil-gia-  
tum.

Forum privilegiatum actoris constituunt causae austregales, feudales, fiscales, camerales, mercantiles, matrimoniales, ecclesiasticae, & id generis reliquae. Econtra reus forum sortitur privilegiatum, si est miles, vel persona miserabilis, illustris AVGVST. LEYSER in meditat. ad pand. Specim. LXXV. § LXXVIII. item si est studiosus vel professor, auth. C. ne filius pro patre, IAC. FRID. LVDOVICI in observation. ad REBF. FVM de privilegiis studiosorum, porro si est clericus, l. 13. C. de episcop. audient. l. 25. C. de episcop. § clericis cap. 12. 18. X. de for. compet. illustris IVST. HENNING. BOEHMER in jure ecclesiast. protest. tom. I. lib. 2. tit. 2. IOAN. BRVNNE-MANN in jur. ecclesiast. lib. 3. cap. 1. §. 1. denique si est illustris, consiliarius principis, vel aulicus, PET. MVLLER ad STRVVI exercit. IX. thes. 59. conf. CASPAR ZIEGLER de foro privilegiato discept. select. IX. pag. 335. seqq.

§. IV.

fontes fovi  
communis.

Forum commune, quia in illo nec actor, nec reus peculiari legis beneficio gaudet, nihilque legi-

legibus tam conveniens est, quam ut actor sequatur forum rei, l. 2. l. 5. C. de jurisdic. omn. judic. varias ob rationes competens esse potest, utpote ratione originis, domicilii, contractus, arresti, delicti committi, deprehensionis delinquentis, nec non rei sitae, LAUTERBACH in colleg. theor. pract. lib. 5. tit. 1. §. 47. seqq.

§. V.

Habet autem forum rei sitae illud peculiare, *de foro rei quod in eodem tam res corporales, quam incorp. sitae.*  
 porales §. 2. Inst. de action. tam mobiles, quam immobiles, l. fin. C. ubi in rem act. exerc. deb. tam universales, quam particulares l. un. C. ubi de heredit. agitur, l. 29. D. de inoffic. testam. MAIER de foro rei sitae, vindicari; nec non interdicta, aequae ac actiones reales, mixtae & in rem scriptae intentari queant, PANORMITANVS num. 43. in cap. fin. X. de foro compet. "Cui accedit, quod  
 „ in hoc iudicio non tam personae, quam potius  
 „ rei, quae petitur, ratio haberi soleat, nec quid  
 „ quam referat, utrum reus ibidem praesens sit,  
 „ nec ne: nam si legitime citatus possessor sese  
 „ non sistat, nec rei controversae suscipiat defen-  
 „ sionem, in rei indefensae possessionem actor a  
 „ iudice mittendus est, l. 2. C. ubi in rem act.  
 „ exerc. IOAN. VOET. in comment. ad pandect.  
 l. 5. tit. 1. num. 76. Quae quum ita sint, nul-  
 lum dubium superesse videtur, quin subditus ex

*transactioe principis agens optimo quoquo jure experiatur* IN FORO REI SITAE.

§. VI.

*natura  
& funda-  
mentum  
actionis  
ex trans-  
actione ex-  
ponitur.*

Alterum quod attinet momentum, scilicet *actionis naturam atque fundamentum*, notandum est, transactionem, non tam decisionem rei dubiæ, quam potius decessionem a lite non gratuitam esse, dato aliquo, vel retento, vel promisso, *l. 38. C. de transact. L. B. de LYNCKER in dissertat. de transact. aphorif. I. IOAN. VOET. in comment. ad pandect. lib. 2. tit. 15. num. 1. L. B. DE WOLF Jur. Nat. Part. V. §. 879.* quamobrem dum amicabile compositio consistat in decessione a lite gratuita, quando scilicet jus controversum uni ceditur, alter vero, nihil vicissim accipiat, *arg. cap. 7. X. de transact. L. B. DE WOLF l. c. §. 868.* facile patet, 1) in utraque id intendi, quo jus desinat esse controversum, litemque finiri, *l. 4. C. de transact. adeo, ut resjudicata & jusjurandum majorem effectum habere nequeat, l. 20. C. de transact, nec utraque alterutrius pœnitentia rescindi, PET. MULLER ad STRUVII exercitat. XXV. thes. 14. nedum imperiali rescripto tolli possit, l. 19. l. 39. C. de transact. L. B. de LYNCKER de transact. aphor. 35. 2) Utramque pacto perfici, GROENWEGEN de leg. abrogat ad l. 7. §. I. D. de transact. L. B. de WOLF Jur. Nat. Part. V. §. 871. & §. 880.*

§. VII.



§. VII.

Equidem jura romana distinguebant, *quae de ju-  
re roma-  
no circa  
eamdem  
notanda.*  
 utrum transactio pacto nudo, an contractu in-  
 nominato, stipulationeve inita fuerit: quippe  
 in casu primo, nec anterior obligatio tolle-  
 batur, nec nova inducebatur, siquidem se-  
 cundum jura Quiritium ex pacto nudo tan-  
 tum exceptio, nulla vero actio dabatur,  
*l. 15. D. de praescript. verb. l. 27. C. locati.*  
 Quod si vero transactum sit contractu innomi-  
 nato, nec impletum ab altera parte, de quo  
 conveniebatur, actio praescriptis verbis locum  
 habebat, *L. 6. l. 33. C. de transact. VINNIVS*  
*in tract. de transact. cap. 2. num. 2.* Denique  
 actione ex stipulatu quis experiebatur, si stipula-  
 tio interponebatur, nec ab altera parte transactio  
 stabatur, *l. 6. l. 33. de transact.* Verum enim ve-  
 ro moribus nostris, sublato quoad effectum discrimi-  
 mine, inter pactum nudum, stipulationem, &  
 contractum innominatum, actionem ex transac-  
 tione atque amicabile compositione nudo saltem  
 pacto inita hodie competere, nullum est dubium,  
*MEVIVS part. 5. decis. 408. num. 4. HAHN ad WE-*  
*SENBEK. lib. 2. tit. 15. num. 7. CARPZOV, lib.*  
*5. respons. 7. num. 5. GVDDELINVS de jure no-*  
*vissimo cap. 5.*

§. VIII.

Quamvis autem ex antecetentibus satis *ex trans-*  
 abundanterque constet, quod ex transactione *actione rea-*  
 agens *lis quoque*

*actio inten-* agens maxime fundatam habeat intentionem, a  
*tari potest.* re tamen alienum non est, disquirere, utrum  
 subdito ex transactione principis agente contra  
 possessorem rei suae, actio tantum personalis, an  
 quoque realis competat. Actionem ex transactio-  
 ne resultantem sive transactio stipulatione, sive  
 contractu innominato, sive denique pacto nu-  
 do stabilita fuerit personalem tantum esse, ad  
 unum omnes fatentur: at mihi actionem quo-  
 que realem ex eadem intentari posse videtur.  
 Quis enim inficias ibit, quod vel condici pos-  
 sit, de quo per transactionem partes convene-  
 rant, vel vindicari, quod alteri, sub certa con-  
 ditione vi transactionis fuerat tradita; si autem  
 haec ita sese habeant, nullum est dubium, quin  
 in casu priori personalis, in casu posteriori rea-  
 lis actio intentetur.

§. IX.

*quod ul-* Nec desunt, quibus ulterius comprobari  
*terius com-* potest, non ob stare, quo minus ex transactio-  
*probatur.* ne realis instituat actio. Etenim in transactio-  
 ne continentur vel ea, quae antea dubia, at-  
 que controversa fuerant, nunc vero per trans-  
 actionem extra litis aleam posita sunt, vel  
 occurrunt, quae dubia aut controversa un-  
 quam non fuerunt, ad corroborandam tamen  
 transactionem faciunt; de illis itaque actione  
 personali ex transactione agitur, non vero de  
 his, quia desuper transactum non fuit. At  
 enim

enim vero illa, de quibus transactum non fuit, ad corroborandam tamen transactionem faciunt, ita comparata esse possunt, ut uni parti sub certa conditione possessio eorundem, alteri dominio reservato, concedatur, quis ergo, his positis, non videt, illum cui dominium reservatum fuerat, purificata conditione, actione reali contra possessorem rei suae experiri posse.

§. X.

Restat denique tertium momentum, *an? & quatenus? scilicet actio ex transactione propter prescriptionem elidat, nec ne.* Olim quidem Romanis actiones vere erant perpetuae, quum enim leges & similes juris constitutiones perpetuae essent obligationis, consentaneum videbatur, actiones ex legibus descendentes nullo unquam tempore praescribi, *pr. Inst. de perpet. & temper. act. HEINECCIUS in syntagm. antiq. romanar. lib. 4. tit. 12. §. 1.* Postea suadente jurisprudentia universali, L. B. de WOLF *Jur. Nat. part. 3. §. 1021.* & exigente utilitate publica, ut scilicet litium aliquis esset finis, ab Imperatoribus sancitum fuit, ut istiusmodi actiones, quae ex legibus nascebantur, triginta aut quadraginta annorum praescriptione tollerentur, *l. 3. l. 4. C. de praescript. 30. annor. l. 1. §. 1. C. de ann. except.* atque haec praescriptio appellatur longissimi temporis, in oppositione praescriptionis longi temporis, quae & temporalis audit, quia in rebus mobilibus triennio, in immobilibus inter

*actio ex transactione quando praescribatur.*

B

prae-

praesentes decennio, inter absentes vero vicennio absolvitur, *pr. Inst. de usucap. l. ult. C. de praescript. long. temp.* HEINECCIUS in Pandect. part. VI. §. 222. & §. 364.

§. XI.

*actio ex  
transactio-  
ne quando  
non prae-  
scribatur.*

Quae quum ita sese habeant, facile patet, actionem ex transactione sive personalem, sive realem elidi posse praescriptione, interim tamen, quum bona fides tum in omni praescriptione, tum potissimum in praescriptione longi temporis requiratur, *l. 109. D. de verb. signif.* & quidem secundum jus romanum ab initio, *l. 48. §. 1. D. de acquir. rer. dom. l. un. C. usucap. transf.* secundum jus canonicum vero omni tempore, *cap. ult. X. de praescript.* actio realis subdito ex transactione principis competens contra possessorem rei suae praescriptione propterea extingui non potest, quia istiusmodi possessor omni tempore in mala fide notorie fuit constitutus. Neque vero actio personalis ex transactione praescriptioni subesse potest, quoniam, si in transactione conditio fuerit apposta, omnino expectandum, donec eadem fuerit purificata, nec prius praescriptio currere incipit, *arg. l. 213. D. de verb. signif.* Sin vero pactum in favorem actoris adjectum, in ipsius arbitrio positum est, quocumque tempore ex eodem experiri velit, quum hoc inter res merae facultatis omnino referendum sit, quas autem ab omni praescriptione immunes esse, inter omnes constat, PETRVS de

TOVL-

TOVLLIER in *dissertat. de luitione pignoris* & *rebus merae facultatis*, quae legitur in ipsius *colle-taneis* pag. 106. seqq. edit. *Ioannis Wolbers*, cel. IOAN. CHRISTIAN. CLAPROTH in *dissert. de rebus merae facultatis*, illustris IOAN. GEORG. ESTOR in *tract. de abusu rerum merae facultatis*, & qui sunt plures ibidem cap. I. §. XX. in not. citati auctores.

§. XII.

Quum instituti ratio plura de hoc argumento *quae colle-*  
 in praesentiarum addere non sinat: paucis indica- *gia hoc se-*  
 re restat, quae collegia, quaque docendi methodo *meſtrio*  
 praelecturus sum per hoc semestrium verno-aesti- *praelegen-*  
 vum. Hora matutina VII-VIII. *Institutiones*, praeun- *da.*  
 te IO. GOTTL. HEINECCIO, ita exponam, ut metho-  
 do analytica omnia primum ad sua genuina redu-  
 cam principia, addendo dein in quibus, & ob quas  
 rationes secundum ea, quae tradit VLPIANVS  
*l. 6. D. de iust. & iur.* Romani a iure universali,  
 quod Ulpianus *l. c. commune* vocat, decesserint.  
*Pandectas* praelegam ad ductum *eiusdem Auctoris*  
 quippe qui IOAN. ORTWINVM WESTENBER-  
 GIVM in *principiis juris secundum ordinem dige-*  
*storum* imitans, jus romanum, ut ita loquar, *pu-*  
*rum* exponit, non confundendo quae sequiore  
 aetate ex glossatorum doctrina addita sunt. Quo-  
 niam praeterea magnum momentum in addiscen-  
 da jurisprudentia civili positum est in eo, ut quis  
 principia juris, & quae ad jurisprudentiae ana-  
 logiam pertinent, clara, distincta, & insimul fa-  
 mili-

miliaria habeat, bis in qualibet hebdomate hora II. III. pomeridiana Auditores Generosissimos erotematibus secundum *tabulas mnemonicas* exercebo, ita, ut tam ea, quae ad theoriam, ut vocant, quam quae ad praxin spectant, proponantur, quo sine ambagibus audiant, & felici conatu memoria teneant, quae quilibet diligens legum cultor nosse oportet. Dabam Marburgi Cattorum Idibus Aprilis A. S. R. clb lō cc xlvii.

ELENCHVS PROGRAMMATIS  
DE IVRE AGENDI EX TRANS-  
ACTIONE PRINCIPIS.

§. I. Tria in hoc themate consideranda. §. II. Quid forum competens. §. III. Quotuplex forum privilegium. §. IV. Fontes fori communis. §. V. De foro rei sitae. §. VI. Natura & fundamentum actionis ex transactione exponitur. §. VII. Quae de jure romano circa eandem norando. §. VIII. Vi transactionis realis quoque actio intentari potest. §. IX. Quod ulterius comprobatur. §. X. Actio ex transactione quando praescribatur. §. XI. Actio ex transactione quando non praescribatur. §. XII. Quae collegia hoc semestrio praelegenda.



Harburg, Diss., 1747/48

TH-OL

ULB Halle

3

004 791 290







Pub. 20. *Koenig* 23.

1747, 7

PROGRAMMA  
DE  
SVBDITI IVRE AGENDI  
EX TRANSACTIONE  
PRINCIPIS

CONTRA  
POSSESSOREM REI SVAE  
QVO  
PRAELECTIONES ACADEMICAS

VERNO-AESTIVAS ANNI MDCCXLVII.

INDICAT

IOANNES CAROLVS KOENIG

IVRIVM DOCTOR ET PROFESSOR PVBLICVS ORDINARIVS  
VNIVERSITATIS MARBVRGENSIS.

MARBV<sup>R</sup>GI CATTORVM  
TYPIS PHILIPPI CASIMIRI MVLLERI  
ACAD. TYPOGR.

